DISCURSUS POLITICUS
DE
CAUSIS & REMEDIIS
MALORUM POLONIÆ,

EDITIO SECUNDA,
Cracoviensi longe correctior,
& aliqvantum auctior.

Qvalis in ædificando, plantando, volando; talis in judicando Libertas: hac fundatur Regnum, & floret Respublica.

Anno cIↄ Iↄc LXI.

Vos, qvibus Rector maris atq; terræ
Jus dedit magnum necis atq; vitæ,
Ponite inflatos, tumidosq; vultus.
Qvicqvid à vobis minor extimescit,
Major hoc vobis Dominus *minatur.*
Omne sub Regno *graviore* Regnum *est.*

Libertatem, qvam peperêre Majores,
studeat conservare Posteritas

A. I. T. F. E. B. I. N. & D. I. C. M. K.

De causis malorum Poloniæ, eorumq; remediis DISSERTATIO POLITICA, inter EQVITES POLONOS, Dn. WIELOWIEDZKY & Dn. PRAWDOMOWSKY, AGITATA.

WIELOVVIEDZKY. Salve desideratissime *Prawdomowsky*: cum te adhuc aspicio, minime, qvod nuper spargebatur, Regno nostro VERITATEM excessisse credo.

Prawdomowsky. Adhuc terris superesse & vivere VERITATEM, certum est; verum, qvi illam audiant, homines decessisse, ingemisco. Ignosce, si tuam præterii SALUTEM, nam neq; tu ex more Gentis egisti: usitata ad excipiendum hospitem oratione jam omissa, vix Salutem verbo præfatus, qvæstionem Veritatis induxisti. At: *Qvid est Veritas?*

VViel. Veritatem Prætor Romanus decidat. Qvod morem Patriæ attinet, verba fucum verius esse putaverim, qvi ab amicitia

nostra abesse debet: nam sicut Religio tua ceremonias non affectat, ita affectus à complementis abhorret.

Prawd. Qvod Religionem meam attinet, *omnis gloria illius ab intus est*, candor vero meus etiam exterius patet.

VViel. De candore non dubito, idcirco nullum ipsi inducere volebam colorem, qvod amicitia rebus magis, qvam verbis, præstet: qvid vero illud est, qvod & tristior solito, sed & pallidior occurras? cum neqve secta tua vigiliam admittat, nec venter amet jejunium.

Prawd. Parce amicitiæ, parcius in conscientiam jocare: longam vigiliam habet, cui nunqvam feriari permittitur; & multum jejunat, cui vivendi media subtrahuntur.

VViel. Ergone de desolatis bonis, an sublatis ingemiscis? Vir est, qvi, contra biformes fortunæ eventus, uniformi mentis constantia militat præmunitus: Vivit Rex, viget Regnum, floret Respublica: hinc collapsa & eversa reparatur fortuna.

Prawd. De mediis qvantum vis & fortuna, hominum ista sunt, & humana: plus doleo de perdita Conscientiarum Libertate, qvæ Dei solius possessio est; cum qva

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et, qvi redire, cum perit, nescit, pudor.

VViel. Omitte ista, communis horum est hodie

hodie qverela; qvod ratio neqvit, sæpe sanavit mora: qvin, si qvid novi habes, cum te totum occupet Mercurius, edissere.

Prawd. Nihil sub sole novi, antiqva hæc mala sunt, qvibus premitur Orbis.

VViel. Hoc eqvidem & ipse credidi frustra diu: antiqva dicuntur, sed fiunt recenter. Tu vero mihi, utut sit, vicina mala referas, qvam remota.

Prawd. Si te *ruentes non satis Thebæ movent*, nec curas domestica, nihil vicinius Transylvania, è cujus nuper gravissimis motibus, (qvos forte fecimus ipsi) & illa tempestate, qva sibi fortissimum à Turca eripi vidit propugnaculum, Orbis indoluit Christianus. Jam vero, posteaqvam ad extrema ventum est, nescio, cujus vel auræ blandientis leni strepitu, aut AUSTRI percita susurro diffluxerit, & in partes iverit capitibus distinctas, eo ipso, qvod *occasum* malit, qvam *ortum*, tributaria necessitate sese proscindi, in cutem atteri, & medullitus evirari, volens nolensq; patiatur. Nam, si suis floruisse libertatibus visa est, cum Turcico imperio deferret; qvomodo emersura sub protectione Cæsaris Germani, cum propiorem hostem habeat, qvam Protectorem, non video: qvippe levius, sed & tolerabilius malum est, cum certo hoste, & qvalicunq; vicino pacisci, qvam ab infido amico sperare

ſperare fidem, & remotis qvaſi extremis auxiliis inniti. Idcirco, ne in incertum curreret, olim ſui præſaga mali, fortisſima DACIA, ex qvo proprios Hungaria perdidisſet Reges, maluit ſemper *Portam Ottomannicam placare*, qvam *placere Cæſari:* cum vero hodie hanc permutare illi placuit ſervitutem, an ſerenitatem? qvis non credat, graviora imminere mala orbi Chriſtiano? cum hanc fraudem & ſimul injuriam non ſit impune Turca laturus, qvi tantum poteſt, qvantum odit, qvin omnibus viribus ereptam offam redimat cruore, & immani atqve continua Chriſtianorum ſtrage ad cætera qvoq; devoranda invitetur: maxime, qvod non ſolum jam fraudes, doloſq; Auſtriacorum advertat, qvi idcirco illū versus Principem Racocium ſtimularunt, ut hac colluſione & colliſione ſuam potius Tranſylvaniam facerent, qvam ſibi redderent fidelem & conſtantem; verum etiam, qvod Chriſtianorū Principum ad invicem disſenſiones cognoſcat, atq; irruendi & invadendi tot portas habeat, qvot disſidiorum odiis locorum rimas & hiatus aſpicit, ac in ſinu ridet ingentem Regnorum vaſtitatem. Niſi qvis, ad repellendam, retundendamq; Tyranni potentiam, Domum Austriacam ſufficere putet, utpote qvæ & Imperatoriæ Majeſtatis gloria potitur, & tot Regum Regnorumq; titulis, vitu-

lisq;

lisq; pingveſcit: qvibus omnibus ſi Regnum qvoq; accedat Poloniæ, qvid putas?

VViel. Non eqvidem ignarus ſum, qvantum Auſtriaci, etiam his Comitiis, per proprium Miniſtrum, & Regulares qvoſdam, & maximam Cleri partem in ſe pronam, in hoc Regno moliantur.

Prawd. Lippis illud & tonſoribus notum eſt: nam libertatis oppresſio, qvæ tam durum & aſperum jugum cervicibus Nobilitatis injicit, qvid aliud eſt, niſi prodromus & præparatio qvædam ad ſuſcipiendos Auſtriacorum faſces & ſecures, qvibus Religionis primum, deinde Civilem libertatem convellant? Hactenus vero adhuc non eſt apta reſiſtere Turcis Austria, niſi occupata & Regnis hæreditariis incorporata fuerit Polonia: tum omnia poterit, qvi jam, etiam *qvod non poteſt, vult posſe, qvi nimium cupit;* adeo, ut Turcicum juxta imperium, vel ſaltem prætextu belli Turcici, ipſam cum Hæreticis Germaniam, & annexas Provincias, posſit debellare.

VViel. Bona verba, & mitius iſta! Crede mihi, *ſobrio ad tanta mala opus eſt Thyeſte.* Etſi malis ſuis Patria noſtra indormiat, tamen neq; Svecus, neq; Moscus, ut alios taceam, committendum putabunt, ut, ipſis otioſe ſpectantibus, Austriaci vicinas gentes opprimant, & in ſervitutem redigant; aut ſibi adi-

 tum

tum ad illas ſubigendas & occupandas ſtruant & aperiant: nam & præſentibus Comitiis, ante dies aliqvot, maluit Senatus molitionibus iſtis occurrere, dum nonnullos Legatos, Libertatis Patriæ immemores, & ipſam libertatem Cæſaris imagini poſtponentes, qvaſi Patriæ proditores proclamarit, & ne deinceps ad publica munia admitterentur, amoliendos judicarit; qvam expectare, dum oppresſis liberis Gentibus, ad alias remotiores opprimendas, ſe qvoq; in extremam Auſtriacorum ſervitutem conjiciant.

Prawd. Atq; tu iſta qvidem non minus vere, qvam libere: at, niſi totum expellas Clerum, aut omnes ſuſpendas Loiolitas, mihi, extinctas eſſe Auſtriacorum factiones, non perſvadebis; horum opera totam AUSTER nuper perflavit Tranſylvaniam.

VViel. Eqvidem, qvibus factionibus Daciam ſuam fecerit Auſtriacus, vel qvo pacto adverſæ Germano ſtomacho Hungarorum in Tranſylvania mentes juribus ſuis reſignarint, & miſere Libertatem perdiderint, an expulerint, non diſputo. Ipſi viderint propioribus & propriis exemplis: nam, jam qvicqvid id eſt, qvod futurum eſt, vel ſine cauſa, vel ſero timebunt. Mihi tantum, qvia vicina mala à te petii, & tu illa narraſti, ex proximo vicini periculo jam proxima nobis inqvirere, & ex alieno

alieno damno domeſticum metiri convenit & æſtimare:

Nā tua res agitur, paries cū proximus ardet: &
Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Non remotior Hungaria Poloniæ. Poloniam dico, qvæ tibi, mihiq; genus, nomen, & fortunam dedit: cujus urgentia & urentia fata qvis neſcit? Hæc hactenus, ut ipſe noſti, ſinu præſens, terga fugiens, ſignorum præſultrix, minax, impavida, ruinis immota, in adverſis intrepida, ad omnes inſultus parata & vindex exſtitit: hodie vero, proh dolor! & externis bellis, & inteſtinis odiis lacerata, oppresſis legibus ac Libertate, diſcordia magis, qvam bello, labaſcit: adeo, qvo olim credebatur major, & habebatur potentior; tanto hodie malorum omnium Charybdi propior, qvæſtui pronior, extremoq; excidio vicinior cenſetur, niſi hanc fati inclementiam & mala imminentia DEUS tandem prohibeat.

Prawd. Papæ! In hoc Reipublicæ flore, in hoc amplisſimo Regnicolarum ac Senatorum concurſu, & fortunata rerum omnium ſegete, lautius, cordatiusq; percolenda, fati inclementiam accuſas? inter ATHLETAS, anrea ſuppellectile inſtructisſimos, inter Ciceronianæ facundiæ Clientes invictos, & diſertos Oratores, inter Fabios & Antoninos, atq; intrepida Martiali indole pectora, inter exoptata

ptata bello paceq;, domi forisq; rerum momenta, inter ipsa aurea tempora, in qvibus neq; luxus nobis, neq; convivia desunt, mala imminentia somnias? Næ, tu mihi injurius in præsentem Patriæ felicitatem videris, si minore fide venit usurpanda: nam si somniatorem agis, nihil inde mali, nisi ex contrariorum interpretatione, exsurgit, qvam vanus augur *Metus* animis inducit.

VViel. Qvas tu laudes? qvæ encomia? Jam demum experior;

- - *maximum hoc Regni bonum est,*
Qvod facta Domini cogitur Populus sui
Qvam ferre, tam laudare.

Imo somnia, non præconia; nisi qvod somniet ille, cui dormire libet: mihi neq; licet, neq; mihi somnia, anteqvam obdormiam, persvadebis. Profecto, nisi Te Jovialem fecisset natura, & æq; in adversis, ut prosperis, constantem Religio reddidisset, aut impium dicerem, aut insanum, cui in tantis Patriæ malis jocari libeat, vel indormire, ut, cum ipse Endymionem agas, vigilantes qvoq; putes somniare. Verum, dic sodes, (nam aliter sentis credo,) & eum discursum, qvem exorsus es, dum ipse satis vigilo, nec langvide, nec somnolenter proseqvere.

Prawd. O bone! Res humanæ qvandoq; carent auribus, & oculis dum destituuntur, ipso

ipso qvoq; meridie cæcutiunt & obrutescunt, visum in pectore gerunt, idcirco fine suo utplurimum frustrantur, & hoc longe deterius est, qvam somniare: nam multi post somnum excitantur ad eruditionem; cæci, si nunqvam dormiant, versantur tamen in tenebris. Magni tu rem momenti postulas, sed, an mihi fidem habiturus sis, non liqvet, nisi paradoxum reddideris illud: *Hæreticis fides servanda non est.*

VViel. Civis tu mihi es, non hæreticus; Eqves Polonus, non extraneus: neq; illa ex te cupio, qvæ ad fidem faciunt, sed qvæ pertinent ad Rempublicam.

Prawd. Atqvi de rebus, ad Regnũ & communem salutem pertinentibus, qvod sacræ habeantur, absq; Religione nemo hactenus locutus est, utpote qvarum fundamentum *Pietas* est & *Justitia.* De qvibus cum tu fortasse minus religiose sentias, existimas, tam pium & justum discursum illotis manibus posse expediri? Profecto, hæc ipsa mala, qvibus urgemur, vel tu adhuc præsentia non vides, sed tantum imminere putas, non aliunde suam ducunt in Patribus Patriæ originem, qvam ex negligentia Justitiæ & Pietatis: nam adeo hæc in florentibus Regnis conjuncta sunt, ut in iis nemo pius sine justitia; neq; justus, nisi pius, esse posit. His virtutibus cum nostra hodie careat

careat Respublica, [nam *Pietatem* superstitioso zelo & opinione ejecit; *Justitiam* non memoro, siqvidem ipse vides,

Jus est in armis, opprimit leges timor:]

& tu me in hoc rerum statu, in qvo neq; sentire, neq; dicere licet veritatem, pro *Æqvitate* & *Pietate* jubes contendere? cujus causa *Cicowscii, Orzechowscii, Moskorowscii, Vidawscii, Kazimirscii, Thasiccii, Suchodolscii, Czaplicii*, ut infinitos taceam tantarum familiarum nepotes, mortem aut exiliũ patiuntur; tunc me qvoq; non absimili expones invidiæ? postea addices periculis? Neq; hoc hercle amicitia nostra, sed neq; circumstantia loci patietur. Qvid enim, nonne VVarsaviæ sumus, ubi & Regia Majestas in solio, & Comitialis Dignitas ad latus, & Cleri summa potestas à partibus regnat, regit, prohibet. Itane tu me in gravissimo & periculosissimo loco piacularem communis odii victimam constitues? Sufficiat nobis, ubi non licet defendere veritatem, injuriam pati; & in silentio, ubi, nisi periculose, loqvi non possis, (qvod proprium est animi bene constituti) lætari bonis, si eveniant, & ingemiscere contrariis.

VViel. Qvos tu mihi Patriæ hostes, Arianos recenses? Qvid ad te horum hæresis & perfidia? aut in eos lata Comitiis A. 1658. hodie vero confirmata *Constitutio?* Tu EVANGELICUS es, de qvo nihil tale meminit Patria: neq; te autore *Calvinus* aliqvando fuit socius *Socini*.

Prawd. Pulcre tu qvidem; & nimis speciose, ut jura confundas, & gravius sævias, distingvis *Dissidentem:* qvod Patres nostri An. 1570. die 28. Jan. tum, cum mortuo SIGISMUNDO AUGUSTO, Jagellonicæ stirpis ultimo, Respublica sui juris esset, publico Ordinum fœdere VVarsaviæ omnes, qvos vos hodie hæreticos vultis, *Dissidentium* nomine sine ullo discrimine & invidioso delectu complexi, eorundem Religionis libertatem his verbis conceptis caverunt. *Cum autem in Republica nostra sit non exiguum in causa Religionis Christianæ dissidium, occurrendo huic rei, ne ex ista causa inter homines oriatur aliqva noxia seditio, qvam in aliis Regnis clare videmus; spondemus hoc nobis invicem, pro Nobis & Successoribus nostris, in perpetuum, sub vinculo juramenti, fide, honore, & conscientiis nostris: qvod NOS, QVI SUMUS DISSIDENTES IN RELIGIONE CHRISTIANA, pacem inter nos conservabimus, & propter diversam fidem, & differentiã in Ecclesiis, sangvinem non profundemus; neq; nos pœnis afficiemus, veluti confiscatione bonorum, infamia, carceribus, & exilio; neq; Magistratum ullum vel Officium ad tale facinus ullo modo juvabimus: imo vero, si qvis sangvinem ex hac causa effundere velit, huic nos omnes vires nostras*

nostras opponere tenebimur, etiamsi prætextu decreti, Vel processus alicujus juridici, (sicut nunc fit prætextu antiqvi & antiqvati Statuti Jagellonici) *hoc facere Velit.* Hæc ipsa Regum qvoq; juramentis, de Pace inter Dissidentes in Religione æqvaliter conservanda, hac formula constant: *Pacem & tranqVillitatem inter Dissidentes de Religione tuebor, manutenebo; nec ullo modo, Vel jurisdictione nostra, Vel officiorum nostrorum & Statuum qVorumVis autoritate, qVempiam affici, opprimiq; causa Religionis permittam; nec ipse afficiam, Vel opprimam.* Qvod juramentum electi Reges Poloniæ sæpius in facie Reipublicæ & totius Orbis, ad tanto majorem fidem, perpetuæ Ordinum legi conciliandam, circa Electionis & Coronationis actus præstiterunt. Qvæ omnia si privata qvorundam stultitia, vel insano furore rescindenda sunt, qvæ à tanto tempore, communibus Comitiorum suffragiis, Regum juramentis & Confæderationibus, ut verba legis habent, *unanimiter, constanter, serio & bona fide*, decreta & stabilita sunt: si, (inqvam) per insaniam & libidinem paucorum, jura, statuta, juramenta tot Principum ac Senatorum evertuntur; qvæ per DEUM Reip. ratio constituenda? qvæ salus & tranqvillitas speranda est? Profecto, inter maxima generis humani bona *fides* colitur, cui ex instituto legum, & ordine naturæ,

ræ, nihil ita congruit, qvam ea, qvæ tanto tempore placuerunt, custodiri: cujus injuria non minus hodie ad me *EVangelicum*, qvam *Arianum* pertinet,

- - *alterna, qVoniam jactamur in unda.*

Nec magis *Socinus* patitur, qvam *CalVinus*: adeo, qvod si aliter sentimus, *non attendimus, membra corporis ejusdē amoris mutui Vinculis detineri; & improVide aliqVem sibi priVatim promittere salutem, perforata aut nō curata communi, qVa cum aliis Vehitur, naVi.* (Author de gent. fel.) Nam, si causa Religionis spectanda sit, vel ob ipsum Religionis respectum *Constitutio* hæc, ejusdemq; Confirmatio evertenda est: in qva non uno modo Libertas qvoq; Evangelicorum subruitur. *Primo:* qvod obsoletæ *Jagellonis leges* contra omnes in genere Hæreticos ab orco revocantur. *Secundo:* qvod, etiamsi hoc non esset, tamen moribus hujus Regni ita comparatum est, ut pax *Dissidentium in Religione partium* firmiter conservari neqveat, si qva *Dissidentium* particula opprimatur. Neq; enim ulli sectæ nominatim prospectum est, sed omnibus *Dissidentium titulo* hucusq; cautum fuit: nusqvam enim in *Cod. Leg. Regni*, aut *M. D. LithVaniæ*, ullius specialis *Protestantium* agnominis mentio aliqva, aut vestigium existit. Qvia vero ista Lex Generalis est, qvæ pluribus hominum speciebus consulit; certe,

te, qvoties hæc in una aut minima specie horum violatur, toties reliqvos omnes periclitari oportet. *Deinde*, cum potentia Pontificiorum in hoc Regno ubiq;, sed præcipue in judiciis, prævaleat, interpretatio *Dissidentium in Religione partium* penes ipsos Catholico-Romanos erit; &, evulgato semel per istam Constitutionem hoc perfidiæ arcano, posse aliqvam Dissidentium in religione partem à Pace & Confœderatione publica excludi, penes Catholico-Romanos remaneat, necesse est, qvoscunqve velint, excludendi potestatem & arbitrium. *Demum*, qvia nullus illorum, ad qvos Constitutio de *Arianis* sive Novo-baptistis directa est, titulum aut nomen Arianorum seu Neobaptistarum, sive criminationes, qvæ ipsis in ea objiciuntur, agnoscit: sed omnes, ut ipsa crimina, ita Constitutionem totam ad se non pertinere protestantur, eaq; exceptione, ubi in rem præsentem ventum fuerit, re ipsa haud dubie utentur. Ita mota semel qvæstione judicibus, qvibus nomen Arianorum competat, nihil facilius est, qvam ut per natam pridem, & tot experimentis compertam, judicū iniqvitatem tam titulus ipse, qvam pœna, ad innocentes qvosqve porrigatur: qvod an Æqvitati & Pietati conveniat, judicabis. Verum, ne videar, ut vulgus voluit, pro Arianis loqvi, nam tibi qvoq; supra

pra Arianos recensere visus sum; nonne eandem experti sunt atq; in dies experiuntur sævitiam *Evangelici?* dum eorum Religio non minus *hæresi* notatur, & ipsi Ariani nisi Catholicum amplecti ritum, non vero *Evangelicum* compelluntur: nam, ne soli Ariani essent, qvos Romana perseqveretur & proscriberet devotio, nonne, unà violentiam in corporibus & possessionibus passi, comites calamitatis extitere Evangelici, *Dembicii*, *Malicii*, *Goluchowscii*, *Reji*, *Cicowscii*, *Rusocii*, *Zawadscii*, *Zelinscii*, (ut Principes viros sileam) qvorum pars aut possessionem amisit, aut vitam? An nescis! qvanta rabies oriatur, ubi supra me[illegible] [illegible]dia profecerunt. Qvis nescit, hanc fab[illegible] n nos qv[illegible], ut [illegible]orum vestigia perseqvamur. Ostendit illud nuper publica in *Bogulaum Radzivilium Principem* rabies, qvi cum communem Evangelicorū invidiam exciperet, per ejusdem latus singulorum libertas petebatur: cujus immanitas hesterna adhuc die, ex svavi fistula ad tonans strepensq; tympanum traducta, proxime è feciali ad carnificem traducenda, *verbi divini prædicationem*, *Sacramentorum administrationem*, *templorum erectionem*, *institutionem juventutis*, severe prohibuit. An sibi nunc qvisq; persvadeat, DEUM, qvi est ipsissima Justitia, injustæ hujus causæ futurum Patronum? *Difficile est*, *ut* bono

bono peragantur exitu, qvæ malo inchoata ſunt principio: plerumq; enim, qvi bella non neceſſaria in Conſcientias moliuntur, temeritatis ſuæ atq; tyrannidis pœnas perſolverunt. Nam ut fides & Religio eſt donum DEI, ita libertas Conſcientiæ & Religionis DEUM habet autorem.

VViel. Litem hanc meam non facio, qvamvis eo facile patiar abduci, ut exiſtimem, immanitatem illam, qvæ à civibus in cives, à paribus in pares hactenus perpetrata eſt, ab inſolentibus potius, qvam probis, viris fuiſſe profectam: qvorum effrenis *licentia*, & in furorem proclivis, optare aliud non potuit, qvam crudelitatem; &, ne improviſa eſſet [illegible]a, religioſa, ut putavit, [illegible]votione impegravit nova Conſtitutione ſævitiam: qvod *ſæpe vulgus interdum, & facti veriſimilitudine ad criminis crudelitatem impelli* conſveverit. Illud tantummodo vehementer dolendum, qvod Majores noſtri impunita relinqvant, licentioremq; illorum furendi intemperantiam ejusmodi novitatibus promoveant, & inoffenſo pede currere patiantur.

Prawd. Tragicum illud eſt, verum tamen efficit:

Qvi non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Longe vero turpiſſimum illud: *Regnum & Senatum* LICENTIA regi. Nam initia qvidem perſecu-

ſecutionis Bonorum vere inſolentibus, non probis viris facile adſcribimus; ſed hodierna die ex faſciis ad faſces, è virgis ad ſecures, è foro in Senatum, deniq; è vili plebe ad Regnum promotam eſſe inſolentiam & inſaniam, admiramur. Nā hæc, qvæ nuper ex privato qvorundam conceptu abnormis prorupit *Conſtitutio*, ut *Jagellonis ſtatutum* contra Hæreticos ex inferis reſuſcitaretur, confirmareturq;, *Senatus decreta* ſunt. Verum de his forte liberius, & præter voluntatem tuam diximus. Abrumpe moras, *VVarſaviæ* ſumus.

VViel. Sine, ſine. Tu, niſi amicitiam funditus tollas è vita, qvaslibet pro illa ſuſcipies moleſtias, neq; illud, qvod peto ab amico, celabis: qvippe amorem cum lacte ſuximus, & ab infantia mutuam coluimus amicitiam. Non eſt hæc inhumana virtus, aut ſuperba; qvæ etiam populos univerſos tueri, eisq; optime conſulere conſvevit. Depone metum: nunqvam mihi in conſcientiam jus vendicavi, & in ipſa amicitiæ fide non tam mihi Religio occurrit, qvam amici amor ipſe delectat. Tyrannorum hæc vita eſt, qvæ neq; fidem, neq; charitatem, neq; ſtabilis benevolentiæ fiduciam habet. Qvis enim eum diligat, qvem metuit? aut illum amplectatur, à qvo ſe metui putat? Vel ſycophantarum vitia ſunt, qvi amicitias utilitate probant, aut colunt ſimulatio-

latione; qvæ si forte, ut fit plerumq;, ceciderint, cũ intelligunt, qvam fuerint inopes amicorum. Qvod vero gravissimas circumstantias attinet, etsi *VVarsaviæ* simus, tamen ecce soli sumus, atq; sine arbitris, ubi neq; Rex, neq; Episcopus, nec Tyrannus, nec Carnifex; & inter duos semper secretum est.

Prawd. Atqvi in omni re considerandum est, & qvid postules ab amico, & qvid patiare à te impetrari. Ne tamen me hic etiam aut hostem existimes, id, qvod in communi Reipublicæ causa, labente & prope cadente Patria, sentiam, dicam: nihil mihi enim tua jucundius existit familiaritate, neq; turpius accidere posset, qvam cum eo bellum gerere, qvocum familiariter vixerim. Ut autem ad malorũ causam deveniam, credo; nos, qvantũ amicitia coalescimus, tantũ sententia discrepare. Nam, si ex Religionis prætextu metienda est difficultas, vos *Catholico-Romani* hodierna Poloniæ mala *Hæreticis* imputatis: nos vero violatæ conscientiarũ libertati. Hic enim est status & hæc ratio Reipublicæ Polonæ, ut omnes Nobiles jure sint pares, & absoluti in hæreditariis possessionibus Domini: idcirco nullus in alterius conscientiam & religionem jus habet, vel legem ullam in præjudicium alterius sine mutuo cujusq; consensu ferre potest; & sicut ædificare mihi in fundo meo, qvicqvid libet, licet; ita qvoq; credere, qvod placuit. Nam sententia Principis Nostri, & Regis gloriosissimi STEPHANI BATHORII, DEUS tria sibi reservavit, in qvibus nec velit nec possit sibi habere parem: nempe dominari conscientiis, futura prævidere, & aliqvid ex nihilo producere. Atqvi in hoc uno, *Dominari Conscientiis*, hodie jus commune violatum, turbatam civium concordiam dolemus, unde tantorum malorũ causam merito adstruimus. Ita qvidem, ut ex illo unico monito Maximiliani II. Imper. *Henrico Valesio*, Polonia excedenti dato, hodiernam Reipublicæ calamitatem comprehendere cuiq; liceat: *eos* scilicet, *qvi dominari volunt conscientiis, ipsam cæli arcem invadere, &, dum hac ratione cælestis Regni possessionem conseqvi se posse putant, ea, qvæ in terra habent & possident, perdere.* Jamne causam mali satis agnoscis? Nam, ut singula breviter percurram, morales hominum affectus cum ratione domestica, civiles vero subditi cum Principe consentiunt. Posterioris generis sunt vicini cum vicino, Civitatis cum Civitate, Regni cum Regno concordia. Pacis cujusq; causa & comes est Justitia. Effectus Pacis sunt, ut alii cum aliis secure agant, & ut cuiq; liberũ sit, suo jure uti, sine impedimento & molestia vivere. Ex qvo vero, prava ratione & perversis moribus in Patria nostra, alii

alii erga alios male affecti sunt, qvo pacto Pacem ab hostibus sperabunt, qvam in Civibus perseqvuntur? nam Pax in illa Republica & populo floret, qvi, à molestiis, violentiis & injuriis abhorrens, in concordiam, justitiæ congruam, qvasi speciali qvadam propensione coalescit. Exclusa igitur & ejecta Pace, nonne bellum seqvitur? non est enim congruens, pessimis conatibus circa noxiam conscientiam sperare securitatem. Ex bello qvid? *sangvis & inopia:* utrumq; adhuc experitur Polonia, & nervo destituta est, & fusi sangvinis, fuso sangvine, aut Svecis, aut Moscis, aut Cosacis, aut Tartaris eluit invidiam: totq; periculis manet exposita Polonia, qvot intulit pericula, & amotis Civibus semper deteriores vicinos habitura.

VViel. Istud sane semper credidi, divinam Providentiam, qvemadmodum rebus singulis inesse, ita maxime præesse Regnis & Imperiis, eorumq; sceptra & coronas pro excessu punire, pro arbitrio moderari: hoc unum me affligit, qvod tam pauci sint, qvi ista recogitent.

Prawd. Solent suprema facere securos mala, aut etiam, qvia oculos habent, & non vident, à supremo numine occœcari: qvippe

Iratus ad pœnam DEUS si qvos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet,
Caliginemq; offundit, ut ruant suas
Furenter in clades, sibi qvas noxiis
Accerserunt ultro consiliis mali.

Ita: ubi justo divino judicio *perit sapientia sapientum*, & prudentia prudentum sese abdit, confunditur, qvicqvid in sui defensionem solers natura congessit, vel ingeniosa artificum manus excogitavit. Non mare, non fluvii, non montes, non sylvæ, non turres, non propugnacula nos à pœna divina eximunt; tam diu, donec culpam agnoscamus.

VViel. Ex sententia Sapientis fati maligna, perpetuaq; in omnibus rebus lex est, ut ad summum perductæ rursus in infimum velocius, qvam ascenderunt, dilabantur.

Prawd. Imo, culpæ ista maligna, perpetuaq; natura est, homines non occupare tantum, verum etiam excæcare, ut, cum ceciderint, vix liceat præ lapsu respirare. Observavit hoc in corporis humani humoribus Hippocrates: illi qvippe nec in melius verti, nec diu subsistere valent; reliqvum ergo est, ut in deterius dilabantur, idq; eo citius, qvo vitiosioribus laborat corpus humoribus. Qvod POLONIÆ nostræ qvoq; contigit, cujus jam non una forma, vel simplex mutatio, neqve procul exitium abest & pernicies, qvandoqvidem jam exulat *Pietas* & *Justitia*, imperium vero conscientiarum superstitiosa occupavit tyrannis & ambitio.

VViel. Qvod si errorem agnoscat, nonne dabitur ad virtutem regressus, unde & vita melior & fortuna:

Prawda. Ita: *Si!* Qvæ nisi obstaret conditio, esset, qvilibet qvod optaret. *Abel* tacet, sangvis ejus clamat, qvælibet sangvinis gutta vocalis est. Qvid putas, nonne Eqvites Polonos, Cives patriæ, & Fratres fuisse constat eos, qvos hodiernus proscripsit furor? qvorũ nunc sangvis in cælum clamat, clamat & injuria. O si redeant ad resipiscentiam, ut optas, suumq; scelus ducant, qvod innocentibus imputant, dicantq; illud, qvod in angustiis suis confessi sunt coram fratre fratres pœnitentes & neqvam: *Merito hæc patimur, qvia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam ejus, dum deprecaretur nos, & non audivimus, idcirco venit super nos ista tribulatio.* Nos sane & per *Serenissimum Electorem Brandeburgicum*, illiusq; Deputatos, & per *Legatos Svecicos*, atq; plurimos *Principes Protestantes*, hunc furorem deprecati sumus, & pacem, qvam habuimus, etsi duram, nostris tamen rebus necesariã petebamus omnes; sed frustra: qvin potius persequendi consilium immanitas, qvæ nisi peracta ab iis laudari, à nobis caveri non potuit, exeqvi constituerit. Verumenimvero, nolo pro hæreticis, ut tui putant, perperam hæreticus ipse, contendere, qvibus, ut supra memini,

ni, *fides servanda non est.* Audire ex te qvoq; gestio, qvam causam præsentium in Republica malorum esse existimes?

VViel. Rerum latentium investigare causas, neq; mei muneris est, neq;, ut nosti, ingenii: illa vero, qvæ sensibus incurrunt, cum & videri & palpari posſint, facile mihi in animum induco, ex Civium asymphonis mentibus, ex intemperie affectuum, & inconsiderato zelo, ubiq; ejecta Pietate, & Justitia contempta, plurima Regno mala irrepsisse. Nam, qvamprimum prætextu Religionis animorum inter Cives divortium sensimus, illico continua dissidia & clades experti sumus: ex iniqva vero administratione ærarii, sive incuria, & nervum belli amisimus, & licentiosum, seditiosumq; militem metuimus. Qvid? qvod & illa nostra in rusticos, sive subditos, crudelitas & injustitia non modicum malorum pondus confusis rebus nostris addidit: qvorum gravem manum experti, securitatem vix pollicemur. Hinc qvantum invaluit in ipsis vitiis consvetudo, tantum in malis licentia; utrobiq; non defuere nocendi vires: qvippe

per scelera semper sceleribus tutum est iter,

non tamen ad gloriam, at occasum. In eo loco res nostræ sunt, ut necesſitatis nostræ nobis magis index, qvam segnioris consilii autor sim. Tyrannidem Conscientiarum deponendam existimo:

existimo: nec erigenda in causa Religionis ante divinum judicium humana tribunalia: mortalis adversus DEUM contentio rescindenda: amoliendus fastus & superbia: fugienda odia, simultates: Concordia Civium & paritas restauranda: Jus, Leges & Constitutiones revocandæ: omittendus *neglectus* publici, & *respectus* privati: deniq; omnia agendo, ferendoq;, ex norma & verbis veteris Legis, *unanimiter*, *constanter*, *serio & bona fide*, pro *Rege* & *Patria* consulendum.

Prawd. Recte tu qvidem censes ex Bonorum Civium sententia: *Di meliora velint! qvāqvam non ista precanda, sed facienda mihi:* qvod haud ignorem, ad summam rerum magis, qvid agendum nobis, qvam, qvid loqvendum sit, pertinere. Nullo tamen modo *Innocentia Dissidentium in Religione Christiana* negligenda est, qvin, nisi statim, at brevi tempore, causæ nostræ justitiam, coram mundo & Angelis, verbis idoneis & apertis declarem. Neq; nobis hanc inuri patiar infamiam, ut proditionis arguamur, qvod ex nulla vel sua, vel aliena rerum gestarum memoria nobis sine nota falsi intentare crimen ita poterunt, ut pœnam inferre hactenus potuerunt. Nam si idcirco nobis Dissidentibus pereundum est, qvod optarent Romano-Catholici illa de nobis vera esse, qvæ ab illis finguntur, nec aliter ficta, qvam facta

facta essent retenturi, credituri vero contrarium, qvando videretur; non prius suspicione mali absolvemur, qvam sævitiæ occasio è manibus sit sublata, & modus in voluntate defuerit: imo, anteqvam nos esse desinemus, perseqvi non desinent. Hac perversitate Carthaginem qvoq; periisse, juste conqveritur Patricius Romanus: *Qvia solebant Romani, qvicqvid de Carthaginensibus diceretur, credere, qvam, qvia credenda afferebantur: idcirco statuit Carthaginem Senatus excindere.* Deo interim, justissimo sangvinarios odio proseqventi, rationem aliqvando severam, & violatorum jurium, & ejectorum immerito Civium, & sangvinis immaniter effusi, sunt reddituri.

VViel. Verum, jam qverelarum satis; injuriarum vero, si qvæ sunt, obliviscamur, &, qvid in tam atrocibus Reipubl. malis censendum, advertamus, ut id dicamus potius, qva ratione malis occurrere possimus, qvam ipsa mala referamus. Nam ea, qvæ qvotidie præpostere eveniunt, vel inconsulte approbantur, qvis satis recenseat? Satis vero futurum arbitror, si qvis adversus mala animatus, ex sententia Patriæ, felicius pro salute publica, qvam privato commodo, concludit.

Prawd. Nihil sane loqamur de summa in *Dissidentes* injuria, qva à Civibus Cives, à paribus pares in liberrima Republ. affecti sumus.

 Nullum

Nullum jam ferox verbum adverſus Cives, vel Deum excidat, qvin arripimus illud: *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum:* &: *Dominus ſi me occiderit, ſperabo in eum.* Optimum eſt pati, & perferre, qvod mutare non poſſis; & Deum, qvo auctore cuncta eveniunt, ſine murmure comitari. Valentior Fortunâ in Deum fixa Spes: reſtituerit nos in priſtinam Libertatem, bene eſt; ſin minus, in utramq; partem res noſtras ducimus, &, ſi occiderit, ſperabimus in eum. Deus non poteſt nocere, nec qvicqvam eorum, qvæ facit, in noſtri injuriam eſſe poteſt; imo contra, nihil non ad ſalutem ſuorum. Vos malorum coryphæos clamare poſſent tempora, & proſcriptorum voces, atq; ſangvis interfectorum vel inter ruinas Patriæ ſeqvi poſſet, atq; ne halitum qvidem relinqvere poſteris, qvod non ſpiraret convitium; niſi melior pars hominis illæſa *Chriſtianam manſvetudinem* talioni præferret, vobisq; jam in ultionem non ignes, non ferrum, non hoſtes, ſed tantum lachrymas & gemitum relinqveret ad exemplum. Cauſam iſtam *Providentia divina* ſuſcepit, & ſuper humanorum affectuum vires pœnarum vices, qvando videbitur, exiget. Porro ipſi *Diſſidentes in Religione*, ſi aliqvid manſvetudine potegunt, publice privateq; coram ſuprema Majeſtate, tum precibus, tum lachrymis, experiri conabuntur, an tantum pii eſſe poſſint, qvantum vos crudeles fuiſtis; & tam patientes, qvantum extorqvere voluit ſangvinaria perſecutio.

Wiel. Ita me Deus! lachrymas mihi pene excutit tua devotio, & cruorem pene elicit omnium veſtrum calamitas. At tu ne cede malis, dabit afflictis meliora Deus tempora mitis. Juvat jam de remediis malorum diſſerere, cum de eorum cauſis ſatis fuerit diſputatum. Nam præter exiſtentia, imminentiaq; mala vide Poloniam noſ... callide negotioſam, tot hodie ſuſtinentem amatores, qvot ſub pectore capere poteſt amores: inter qvos alii amantes & amentes, alii ſubridentes & ſubrigentes. Qvibus niſi tempeſtive occurratur, ſegetem malorum metere licebit peſſimam.

Prawd. Loqvi te ex ratione, & Bonorum conſenſu ſentire, nemo eſt, qvi non videat. In iis tamen, qvæ ego qvoq; in hanc rem dicturus ſum, amice moneo, ut in verbis meis non exitum, ſed conſilium ſpectes: nam horum initia in poteſtate lingvæ poſita ſunt, eventum vero divina procurat *Providentia.* Inter tot qvidem Poloniæ procos (ne dicam porcos) diviſam plebem, & Senatum, ad mala evitanda, & metum tollendum, paſſim audio jactari, utiliſſimum eſſe, adhuc ſuperſtite Rege de fu-

 turo

turo nominando Succesſore deliberare. Verum, ſi memini, Antecesſores noſtri, moris antiqvi memores, novam iſtam ſapientiam, relictis tot poſt ſe Conſtitutionibus & Ordinationibus, improbarunt: qvod tamen conſilium, hodie in deterius ſuſceptum, etiamſi electionem vivente Rege extorqveat, non malorum remedium, ſed inſtrumentum futurum eſt. Tu vero qvid ſentias, peto.

VViel. Antecesſores noſtros, ut ipſe qvoq; memini, periculoſam ejusmodi novitatem exhorruisſe, &, ne in illa Respubl. impingeret, tot obices poſuisſe, non ibo inficias; atqvi nunqvam illorum tempore *Imperium* noſtrum ita fractum viribus, exhauſtum ærario, viris militaribus & Senatoribus mutilatum fuisſe concedes: qvod ſi futurum ſperasſent, credo, illos de antiqvitatis rigore remisſuros, & aliqva exceptionis regula vel appendice uſuros fuisſe. Nunc vero ex præmisſis in Republ. defectibus de nominando (vivente adhuc Principe) Succesſore multorum exiſtunt conſilia, qvo præſentia & imminentia mala ſopire posſint: à qvibus nec ipſe disſentio. Siqvidem, ſi *Serenisſimus atq; Auguſtisſimus Rex noſter, JOHANNES CASIMIRUS*, repentina (qvod Deus avertat) tolleretur morte, qvæ tum exiſtimas Gentem noſtram inundatura mala? qvæ circumventura Rempubl. pericula? eo præſertim tempore, qvo Patria noſtra (proh dolor!) & rebus turbata & hominibus, plus diffidentia Civium, qvam hoſtili metu, laborat; ea ætate, qva exteri Principes & Magnates appetitum ſuum in illam exacuunt, eundemq; ſpe occupandi Regni noſtri (ſi non per liberam electionem, tamen per fraudem, vel potentiam) ſuſtentant: &, ut præſentia omittam, ad ſola averruncanda Interregni mala conſultius mihi videtur, ſuperſtite adhuc Rege conſulere de futuro Succesſore, qvam extincto infinitis incommodis involvi.

Prawd. Nihil arduo huic ſubeſt negotio, qvod non divinam aliqvam vim præ ſe ferre, etiamſi nulla impenderent mala, vel manerent pericula, tecum lubens ſentiam. *Rex à DEO eſt*: ſine Rege, amabo! Regnum qvid? qvale? qvantum? Divini forte Numinis pœna, qvæ poſt ignota ſcelera invehat tyrannidem. In his tantum binis vocibus, *vivente Principe*, in qvibus Veteres & Antecesſores noſtri nobili emphaſi legitimam Regis vindicarunt autoritatem, disſentimus. Nam, ut de malorum præſentium remediis nihil dicam, magni ponderis materia eſt, de nova Electione ante tempus disſerere; minoris econtra momenti res eſt, ex qva integritas Patriæ & ſecuritas Interregni dependet. Ad cujus deciſionem prius qvam deveniam, geſtio ex te audire, qvales tu

Circumſtantias circa Electionem novi Domini, & qvos cancellos futuro Principi ex *Platone* vel *Ariſtotele* præſcribas.

Facta per te in denominatione novi Principis *Circumſtantiarum* mentione, ne præcipitanter rem agam, vel abducar proprio affectu, aut, qvod in rebus fieri conſvevit arduis, ne ipſa mole obruar, breviter accipe qvinq; capitibus Regis futuri reqviſita, qvæ mihi nuper fideliter ab amico conſignata & communicata fuêre, & lege, ſi placet.

Circumſtantiæ, qvæ in conſiderationem venire circa Electionem novi Domini debent.

I. Ut ſit Religionis Catholicæ, non ſuſpectæ.

II. Ne ſit ex Magnatibus, & Dominis limitaneis, ſiqvidem hæreditarii ſui dominii, vicinitatis inprimis, occaſione mallet utilitatem gentis ſuæ promovere, qvam noſtrum commodum. Id qvod afflicti Ungari experiuntur, qvos Domus Auſtriaca tantum pro ſuis ſepibus & antemurali habet, ut potentia Turcica, his occupata, dominium Germaniæ non attingat; defenditq; illos, non propter ipſos, ſed propter ſe: qvod pridem celeberrimus hiſtoricorum *Paulus Jovius* advertere viſus eſt.

III. Ut Vir ſit judicio: qvocirca, genius illius atq; actiones ante bene inſpiciantur, necesſe eſt.

IV. Ut pacati ſit ingenii, qvoniam nimis acutus intellectus Polonicis rebus noſtris non qvadrat, qvæ nonniſi per pacata, non verſo per ſubtilia, aut per diſcurſus, ſed more Polono ſimplici, ex inſtituto conſervari qveunt. Porro alia reqviſita (videlicet, ut pecunioſus ac potens Dominus eligatur, qvi Reipublicæ ſuppetias ferre posſit) diſcurſus gratia potius, qvam ex fundamentali ratione, annumerari posſunt. Qvemadmodum in œconomia Polona id non eſt practicabile, ut qvis bona Regia propriis bonis ſuis hæreditariis reſtauret, ſed potius hæc illis redintegrantur: ſic illud qvoq; communem rationem ſuperare videtur, velle præſumere, electum Regem qvaſi non magis cogitare, è Polonia ad hæreditarias ſuas posſesſiones qvicqvam referre, ubi ſaltem per electionem, nec certa in poſteros ſpe regnatur, qvam ſua ad nos transferre. Qvinimo, qvanto amplioris hæreditariæ posſesſionis electus Rex foret, tanto illius majori deſiderio propter vicinitatem teneretur, faſtidio Comitialium diſceptationum, libertatisq; noſtræ imprimis correptus, qvarum omnium permoleſtæ factiones oportet ut ſint, non tam ex natura Polonæ libertatis, qvam ex ipſa conſvetu-

dine & praxi cujuscunq; liberæ Reipublicæ. Veluti id in Republica Romanæ accidit; qvamvis huic totus Orbis optimam admini-ſtrationem & felicisſimam adſcribat: in qva, ſi *Livio* credimus, majores noſtris motibus motus, & vix non armatæ populi cum Patri-bus colliſiones fuere, qvando jura eorum in-fringebantur, vel durius ipſis aliqvid impone-batur. Qvamobrem ibi ſint oportet majores circa Libertatem altercationes, ubi jurium majores conſvetudines & praxes invaluere: ubi vero non licet injuriarum actiones inſti-tuere, ibi licet, imo necesſe eſt pati. Ad qvem ſcopum collimat *Monarchia*, qvæ inter con-ſultationes qveribunda de violatione jurium vota prorſus deteſtatur. Qvocirca minus di-ves (& maxime ex disſitis locis) qværendus nobis eſt Dominus eligendus, ut ad minimũ ſui ipſius gratia nos diligere necesſum habeat, cum à Gente ſua remotior erit: ne in nos, ſi-ne nobis, potentiam ſuam exercere posſit: ne noſtram libertatem faſtidio habeat; ac priva-ta potentia ſua ne nobis ex vicinitate noceat. Qvæ cum ita ſint, tamen ante omnia hoc uni-cum in eo conſiderandum venit, ut magni conſilii Vir ſit, ut nos propriis viribus noſtris defendere ſciat, qvamvis de ſuo, qvod ipſum qvoq; magis optandum, qvam ſperandum, nihil ſuperaddat. Qvippe, ſicut non cupimus, ut

ut de ſuo qvidqvam Nobis det; ita volumus, ut de noſtro nihil accipiat, aut ejus cupidus ſit: atq; hac ratione non ſolum ſufficientem, verum etiam ex parte noſtra ſuperabundan-tem fortunã habebimus. Faxit autem Deus, ut in ea tempora Patria noſtra reſervetur, ſed nonniſi poſt ſera nunc Nobis regnantis Do-mini fata, iſtudq; qvanto celerius eveniat, ut Exercitum ſedatum, & in antiqva militari di-ſciplina conſtitutum, unde tota noſtra fortu-na dependet, & Regni felicitas, videre posſi-mus.

V. Inſuper conſiderandum eſt, (qvod qvi-dem ſuperius inſeri debuerat) ne Succesſor eligendus ſit duorũ Dominiorum Dominus: ne ſcilicet, regimine duarum aut plurium na-tionum diſtractus, curam rerum noſtrarum Polonicarum negligentius habeat, qvæ præ-ſentem ſemper Dominum, eumq; gnavæ ſol-licitudinis, reqvirunt. Hoc periculum matu-re Svecica prævidit Natio, qvæ non ita pridem publica lege conſtituit, ne Rex illorum aliud Regnum affectaret: qvod ſi aliqvando acci-deret, tum Svecicum desereret. Qvod ex communi illo qvoq; axiomate (*pluribus in-tentus minor eſt ad ſingula ſenſus*) patet; & ob-vio regimine, eoq; œconomico, demonſtra-tur: ſiqvidem œconomiæ Præfectus, qvi mul-ta bona adminiſtrat, non omnia uno eodemq; ordine

ordine bono gubernat. Ubi enim ipse residet, qvamvis imperfectus sit in scientia œconomica, tamen, si non ex singulari scientiæ œconomicæ virtute, nihilominus ex necessitate, vel ad minimum propter commoditatem suam, ne ex decidente in corpus suum pluvia, vel in oculos fumo, molestiam capiat, jubebit tectum mansionis suæ reparare, focum debitè adaptare, ac fulcire parietes: (*Liceat parva componere magnis*) ita Rex, uni Regno præpositus, qvantumvis non omni ex parte idoneus, propter suam nihilominus præsentiam, circa Regni communia pericula, suæ incolumitatis, securitatisq; gratia, tanto graviorem curam geret, etsi proprio suo commodo publicam utilitatem postponat. Privata siqvidem præsentia magis movet, magis in animum & oculos incurrit, atq; magis qvoq; terret & afficit. Germaniæ inferioris status turbulentus citius compositus fuisset, nî ab oculis Regis Hispaniæ tantopere dissitus exstitisset. Certe, neq; felix, florensq; qvondam Hungaria injuriis Turcicis, ejusdemq; immanitati patuisset, si ipse Rex & Dominus in ea habitasset: nam ad minimum metu suæ ipsius personæ de securitate & fortuna Regni fervidius prospexisset. Nunc, qvantum Hungaria à Vienna distat, tantum qvoq; Dominus expers est periculi, à qvo illi dicitur: *Defendo te, non propter te, sed propter*

propter me. Hinc & fructu suo destituitur, & fraudatur auxilio. Et, ne externa perseqvar, neq; Nos moverent pericula *Cis-Nesteriana*, sive Moscovitica illa sint, sive Cosacica, sive Tartarica, sive VVallachica, si Rex remotior foret, qvi anteqvam in tanta distantia de illis consulere incipiat, gravis illos interea angustia premit. Qvod si autem per Administratores è Gente sua constitutos consilia inire velit, veluti id Ungaris accidit, ut à Germanis gubernentur, (de qvo *Istvanffius* in domestica sua historia fuse disserit, & de Administratoribus Germanis contra jura Patriæ præpositis gravissime conqveritur,) hæc res longe apud Nos in pejus procederet, ex occasione opulentarum Præfecturarum, qvæ hodie in Ungaria non reperiuntur, nam tantum ad escam exteris præbendam tenetur; licet in Comitiis publicis sæpissime de eo Ungari dolenter conqverantur, sed frustra. Nullum siqvidem ex consultationibus suis oblectamentum aut fructum, nisi pœnitentiam, conseqvuntur: nec ex re sua consulere possunt, postqvam semel capistrum Germanorum induerunt, & stulte collum præbuerunt servituti; nam apud Potentes *Leges* aranearum telis jam similes sunt. Qvid, qvod Ecclesia qvoq; Dei (cujus regimen Spiritus S. suprema sapientia procurat) prævidit, vetuitq;, ne unus

Cleri-

Clericus, vel Sacerdos, bina aut plura beneficia possideret, qvoniam de uno eorum minorem curam haberet? ac proinde, qvod ad animarum curationem non exiguum detrimentum facit, hoc ad regimen seculare & politicum in Regni administrationem cadere videtur.

Tantum de futuri Principis circumstantiis: qvæ an tibi arrideant, nescio. Certe *amore seducimur, odio peccamus.* Pars est humanæ sapientiæ, tenere modum, qvem observat, qvi veritatis conscius, nihil se præter eam qværere, ingenuo animo potest profiteri.

Prawd. Ego qvoq; ita censeo. Qvisqvis ille fuit, qvi præmissas circumstantias Regias procudit, illum vere Polonum Eqvitem, & Polonæ Libertatis Assertorem fuisse, ex ipso genio & indole, etiam Posteritati constabit: qvod autem me attinet, neminem pro futuro Principe eo rectius sensisse, neq; pro commodo Regni & Reipublicæ melius dixisse, aut scripsisse puto, cujus mentem & animum *Dî provehant in melius.* Porro, anteqvam ad demonstranda malorum remedia perveniam, prius illud, (cum illam mihi occasionem præbueris) qvam intempestive & præpostere fiat, si vivente Rege de futuro Successore statuatur, duodecim Rationibus contrariis, non verbis meis, sed itidem alienis, & qvidem ex amica nuper manu & scrinio depromptis, ostendam. In

In qvo sane neq; ego, neq; Amicus meus aliqvid, ut mores censeantur nostri, dabimus, sed eam rem præsentem dicturi, qvæ veræ, rectæq; mentis conscios fateri, & Patricia fide, & in Patriam amore, boni publici causa sentire, necesse est. Tuum tamen fuerit, ex seqventibus, qvid statuendum sit, judicare.

I. RATIO, *qvam ob causam Antecessores nostri severa lege determinaverint, ne vivente Rege nova Electio institueretur*, fuit: qvod prudenter expenderint, difficile esse, nullam rationem respectuum habere, qvo Cives Regni Aulæ, seu domus Regiæ placitis omnino non attraherentur: ita, ut non ille, qvem cuperent Cives, in successorem eligeretur; sed qvem Aula, Dominus utpote superstes, Civibus præscriberet, & in qvem privato respectu vel beneplacito oculos suos conjiceret. Hoc ut maximum supponendo, tanto minus impræsentiarum, qvum nec vires Patriæ, nec coadunati Nobis animi constant, optimaq; subjecta deficiant, ab hisce respectibus vacui esse possemus; nihilq; certius, qvam qvod, hocce labescentium rerum nostrarum statu, non eum, qvem ex commodo Patriæ nostræ putaremus, sed, in qvem Aula oculos directos haberet, Dominum eligere teneremur. Unde nunc & postea contingeret, electionem nostram liberam periclitari, qvando electus oblati

lati sibi dominii beneficium non eligenti populo, (nisi forte invite) sed soli Aulæ attribueret: nisi forte secreto ex inclinatione Domus Regiæ intelligat, eam qvoq; Succesforem eligendum intendere, in qvem tota Respublica collimat.

II. RATIO. Qvod, si Cives Regni alteri cuipiam Dominium conferre vellent, qvam qvidem Aula appeteret, majus tunc exinde periculum, qvam tempore Interregni, Civibus immineret, qvod loco unius duo forent, ex dispositis clientelis liberæ electionis: videlicet novus Competitor, qvi sibi non deesset; ipsaq; Aula, qvæ sua qvoq; exeqvi curaret. Ex qvo inter Ordines & Status major scisfura foret, cum confidentia Domini erga subditos, & subditorum erga Dominum periret.

III. RATIO. Non sunt multiplicanda entia sine necesfitate. Sufficiat, sine inductione alterius Regis, uni parere Principi, unde legitima habetur institutio; siqvidem non omnis melioratio in melius vergit: sed & medicina, sine necesfitate sumpta, non sanitatem, sed mortem propinat. Unde recte infertur: *Malum bene positum ne moveas!* qvod lingvæ qvoq; nostræ, & proverbio, złego nie ruszay/convenit.

IV. RATIO. Qvamprimum Succesforis denuntiatio emanaret, nunc omnibus qviescentibus, omnia iterū mala exurgerent. Nam & Moscus,

Moscus, qvi Magnum Ducatū Lithvaniæ possidet, eo, ut eligatur, intendit: & cum aliis Imperator Christianus, qvi jam inter Cives factiones seminat, hac spe se sustentat. Mox vero, electione instituta, unoq; denominato, reliqvi sine dubio hostes, qvi nunc amici sunt, (& qvidem implacabiles) redderentur.

V. RATIO. Nec obstat, si qvis dicat, præstare hisce rebus periclitari, ac competitores durante Regis vita offendere, qvam demum sub Interregnum, disfoluto (qvem DEUS avertat) rerum & animorum statu, in ea pericula incidere. Verum, non expedit ante sagenam piscari, & si emendus est, facilius emitur piscator, qvam piscis: estq; is in eo laudandus, qvi consilium, cui impar erat, fato permisit. Qvis ante qvadriennium prædixisset, fortunam Polonam ex tantis periculis taliter emersuram? atq; sic impræsentiarum, inter malleum & incudem posita, potius, spe in Deo collocata, meliorem sibi felicitatem, reducta Justitia & Pietate, polliceatur, oportet: inter alia vero, fore Regem tamdiu incolumem, donec vires Patria resumat, Civium concordia restauretur, idq; intra unius anni spatium evenire posse, confidat, & supponat. Atq; ita demum Nobis constabimus, cum & Regiam authoritatem tuebimur, & secundum Antecesforum nostrorum mentem periculosas novi-

novitates amoliemur, ut neq; Interregnum, ſi eveniat, neq;, Exteri ſi ingruant, timeamus.

VI. Ratio ſuo qvoq; non caret fundamento. Mirabatur Orbis nuper levitatem qvorundam, qvi, de fortuna Patriæ deſperantes, modo Svecum, modo Moſcum, modo Imperatorem Romanum, ad Sceptra Poloniæ capesſenda invitarent: qvod, præcipitato in deterius conſilio, errore communi non caruit. Abſit vero, vivente adhuc Rege, ut videmus; mutata in melius Reipublicæ facie, ut ſperamus; & finito, ut vovemus, bello; deniq; reſtitutis, ut cupimus, legibus, in eam ſtultitiam ſpontaneo ductu inpingamus: qvandoqvidem nos fata ad delirium non impellunt, imo optima qvæq; pollicentur.

VII. Ratio. Inter Reipublicæ Candidatos, & eos, qvi eligi in ſucceſſionem merentur, pauci ſunt, qvi Moſcorum Ducem pro Domino exoptant, niſi forte illi, qvi ejusdem jugo premuntur. Qvod ſi itaq; circa Electionem impræſentiarum occuparemur, Magnus Ducatus Lithvaniæ procul dubio hoc pacto ſuam potentiam intenderet, aut totus à Nobis diſcederet, aut citra voluntatem noſtram, cum ingenti Reipublicæ jactura, in illius ſententiam deſcendere cogeremur.

VIII. Ratio. Qvemadmodũ filia apud patrem, qvando parentibus major fortuna accreſcit, plures ad ſe & majores procos allicit: ſic Respublica noſtra, ceu nubilis, multos competitores ad ſe nunc invitare incipit, qvam ante qvadrienniũ, deſperato rerum ſtatu, prope nemo ex illis voluit. Vivente igitur adhuc illius marito, abſit ut pro vidua habeatur, qvæ ſi, confundente res noſtras ſupremo Arbitro, luctum induat, tantisper, dum licet, (licet autem) expectet, donec abundantius ſua felicitate efflorescat, ſed & plures ad ſe Procos alliciat, nobisq; plenũ jus libere eligendi relinqvat, qvod jam, citra voluntatem multorum, factione & potentia vacillat, dum neq; viribus, neqve concordia, neqve conſilio conſtamus. Largietur præterea DEUS Optimus Maximus, veluti jam eo res inclinant, præſertim, cum jam totaliter cum Svecis differentias omnes compoſuerimus, ut Magnus Ducatus Lithvaniæ & Coſacorum obedientia brevi Patriæ reſtituantur: qvo facto, poſtea & oculos & conſilia, qvo voluerimus, licebit Nobis convertere.

IX. Ratio. Qvam periculoſum ſit Regno, *vivente Rege* de Succesſore cogitare, tritum illud proverbium (*Solem Orientem plures adorant*) oſtendit: Nam hoc pacto, qvis non videt, ad novum electum Dominum majorem animorum partem inclinare? Sine dubio enim Electi opulentia, aut dexteritas, clientelas

telas sibi ex Civibus compararet; neq; parum exinde regnantis Regis commoveretur animus, qvod expressa eorum non fieret mentio, qvæ hinc suboriri possent. *Carolus Qvintus* non externo Principi, sed proprio filio Regnū cessit: nihilominus constat, eum facti graviter pœnituisse, cum plus filio suo, qvam sibi, deferri, & magis subditos illi addictos, qvam sibi esse obseqventes, videret. Qvid vero apud nos, si externus succedat? Eam animorum mutationem in subditis, æmulationem ac collisionem inter regnantem & proxime regnaturum, cæcus sit, qvi non videat, aut insanus, qvi non intelligat.

X. Ratio. Qvia hæc *Lex*, ut necessariū sit, superstite Rege novum eligere, ad hoc usq; tempus non est visa dispensabilis: idcirco nulla unqvam ea de re mentio facta est. Qva lege semel dispensata, eo ipso eandē in perpetuū abolebimus: unica enim licentia in illicitis sufficit. Et posito, non tamen concesso, invitare nos ad hoc speciosam qvandam necessitatem; at antiqvo diverbio prostat, *omnia mala exempla à bonis initiis, & specioso prætextu, orta esse.* Qvod sane, nunc semel jure nostro violato, nobis non conduceret imposterum, si sub specie ceremoniarum Electionis (qvam Deus avertat) Successio inducatur. Ita enim *Domus Austriaca*, per speciosum Electionis nomen,

men, *Hungaris & Bohemis* servitutem induxit, &, derivando in se speciosam consvetudinem, Regna libera fecit hæreditaria. Qva praxi, superstite adhuc & regnante Domino, electio in futuram regnaturi Domini personam populis indicitur, non qvidem propter bonum utriusq; Regni, (qvod alias id sibi evenire optaret,) sed ex privato *Domus Austriacæ* respectu.

XI. Ratio. Uno qvasi verbo concludere facillimum est, non illum esse finem, acsi metuendum Nobis esset de futura sub Interregno electione, cum potens sit Deus (qvia nunc qvoq; curam nostri palam gerit) vitam Regis nostri prolongare, qvo ipso Respublica nostra firmiora fundamenta virium ac concordiæ jacere possit: ita, ut interea temporis limitaneis Magnatibus, qvos veremur, aut multum de appetitu & prurigine erga nos decedat, aut suas qvoq; habituri sint, qvibus distrahantur, belli aut otii occupationes. Sed si locum qvæstioni de eligendo Successore dederimus, liberam electionem, qvam tot seculis habuimus, amittemus: neq; enim ille eligendus nobis veniet, qvem Patriæ utilem judicavimus; sed, qvi Nobis ab Aula intrusus est, illum pro Domino colere tenebimur.

XII. Ratio. Tandem, ne videamur cum iis facere, qvorum fatalem ignaviam, & incon-

consultam rebus gerendis prudentiam, exprobrat & vituperat Senator Romanus, qvod *rabie qvadam, & profunda confundendi omnia cupiditate, novum Ducem, novum statum, novam qværebant Rempublicam*, & hoc qvidem pulsis Regibus. Qvid autem diceret, si *Rege vivente* idipsum postulassent? non *rabidos* tantum, sed & *furiosos* dixisset. Idcirco præstat intempestiva, ne dicam furiosa, ejusmodi consilia omittere, & potius regnanti Domino sera fata optare. Nam, qvemadmodum virtutis & famæ gloria nusqvam ad Posteritatis memoriam felicius, qvam post funera, triumphat; ita gloriosissimam, imo & securissimam Electionem *Mors Principis, non vita*, facit in Polonia: aliter *Regnum non capit duos*. Qvod si nulla harum Rationum sufficiat, optimum erit in præsentibus malis illud consilium, qvod in similibus Status nostri conturbationibus sæpius fuit practicatum: scil. *Ægram, sauciamq; Rempublicam quiescere oportere, ne vulnera curatione ipsa recrudescant*; aut ad minimum in tanta negotiorum flagrantia, aut animorum fervore, (an furore?) adhuc aliqvid expectare, cum ex natura temporis & modestiæ,

qvod ratio neqvit, sæpe sanavit hora;

in casu vero tam periculoso CONSILIUM, cui jam impares sumus, DEO permittere, qvandoqvidem tam intempestiva *de eligendo & nominando*

nando Successore materia non tollit malorum copiam, sed aggravat, ut præsumptione dejiciat Libertatem, & temeritate præcipitet Rempublicam.

Atq; hæ qvidem sunt *Rationes*, qvæ voluntati hodiernæ & qvorundam consiliis opponuntur: qvibus, licet prævaleat adversa Legibus *novitas*, suumq; VIVENTE PRINCIPE, & nominato Successore, sortiatur eventum; tantum tamen abest, ut hoc imprudenti conatu præsentia Reip. mala avertat, qvin ex collisione hodierna civium, militum seditione, rebellione subditorum, & Competitorũ pugna,

omnia nefanda, malo permixta furore,

& graviora Regno incommoda inferat, unde certa ruina & pernicies Patriam inveniant, nisi DEUS aliqvis *furentibus obstet*.

VViel. Qvod si igitur, vivente adhuc Principe, durantibusq; Reip. malis, *Successoris Electionem* remedium malorum esse negas, adeo, ut & mala augeas; qvid tandem ad omnia tollenda incommoda conducibile existimes, libet ex te cognoscere.

Prawd. Atqvi, si superiorem discursum meum satis advertisses, facile ex tanto malorum cumulo, qvasi catalogo, remedia qvoq; elicere potuisses. Nam ubi de impietate Civium adversus Cives, & de iniqvitate Judicum contra Innocentes egimus, ubi expulsæ *Pietati* & pro-

& profligatæ *Justitiæ* merito condoluimus; ex his m.iorum remedia, unde ipsa scilicet emerserant mala, licebat colligere. Verum, qvicqvid sit, ut tuæ consulam (si excidit) memoriæ, vel indulgeam distractioni, non me pigebit, tædebitq; malorum remedia ex iisdem malis extrahere, atq; post calamitatem præsentem futuram Regni augurari felicitatem.

VViel. Liceat mihi tuum precibus prævenire discursum, illudq; ab amico pectore impetrare, ut, postqvam nos *Aula* vocat, amotis qverelarum ambagibus, de malorum remediis, qvo & fastidium tollas, & moram abrumpas, qvam brevissime decernas.

Prawd. Non minus tempori, qvam precibus, pareo; & duobus tantum verbis, hoc est, Pietate & Justitia, omnium malorum remedium expedio. Nam hæ duæ potissimum virtutes florentia reddunt Regna, & fundant Imperia. Hinc illud pulcherrimum Christiani IV. Regis Daniæ erupit symbolum: *Regna firmat Pietas & Justitia:* [cui consonat & Nepotis ejus, Christiani, Daniæ & Norvegiæ Principis hæreditarii, symbolum: *Pietate & Justitia:*] non, qvod ignoraret Magnus Rex, pluribus partibus regnandi artem consistere; sed, qvod omnia ad hæc duo tantum capita referret, ita feliciter cuncta successura statuebat, si & intemerata *Pietate* Dei, & inoffensa *Justi-*

Justitia subditorum res curaret. *Justitia* qvippe homines tantum, suum cuiq; tribuendo, respicit; *Pietas* Deo innititur, & *Conscientiarum* adstruit *Libertatem*: illa violata, affliguntur homines; ista neglecta, Deus offenditur: altero confuso, & neglecto altero, qvid, nisi *Ira DEI*, & inter homines *Discordia*, consurgit? Subruunt hæc vires & consilia, evertunt urbem & Rempublicam. Vana tunc & stolida omnia, qvibus *Ratio humana* confidit, non tuta præsidia, stulta fœdera, arma perversa, insana consilia, Regnum conseqvuntur. Nam neq; id, qvod ars excogitavit, vel adinvenit ingenium, neq; illud, qvod in suas partes natura divisit, ut sunt muri, turres, fossæ, arces, propugnacula, aut montes, amnes, sylvæ, lacus, flumina, irato Deo resistunt: cujus est, singula pro defectu *Justitiæ* & *Pietatis* ad rigorem sui judicii & voluntatis exigere. Ergo in id omnibus viribus incumbendum erit *Poloniæ*, si mala auferre & florere desiderat, ut Pietas & Justitia postliminio reducantur. Ita vero inprimis Pietas reducta censebitur, si de profligata impie in Civibus *Conscientiarum libertate* melius imposterum, qvam ante triennium, *armorum Svecicorum prætextu*, vel hodiernis Comitiis, inaudita novitate, statuatur. Qvippe *nihil tam voluntarium*, (ex sententia Lactantii) *qvam Religio: in qva si animus aver-*

 sus

sus est, jam sublata, jam nulla est. Cujus hæ sunt in *Pietate* partes: 1. *DEO non resistere*, ut illi qvilibet fidem libere adhibeat, & cultum præstet voluntarium, qvi cogi non possit. 2. Verborũ Theodorici, Gothorum Regis, (apud Cassiod. l. 2. ep. 27.) reminisci: *Religionem*, inqvit, *imperare non possumus, qvia nemo cogitur, ut credat invitus.* Et alibi: *Cum Divinitas patiatur multas Religiones esse, nos unam non audemus imperare.* 3. Ex Henrico, bellis sacris fatigato, sapere, & *curam Pastoralem* restringere; cujus ad posteros moribundi vox hæc fuit: *Discite meo exemplo, qvod Religio sit officium hominis singulare erga Deum, in qvod carnale brachium nũllam habet potestatem.* Jam qvod JUSTITIAM attinet, adnitendum, ut ex ejus ordine & natura Civi, Militi, Subdito, & *unicuiq; qvod suum est, tribuatur.* CIVI qvidem, tam in *tribunalitio*, qvam coram qvocunq; *officio*, justum administretur judicium; à qvo *testes falsi*, &, qvod Poloniæ naturale est, prece, pretioq; ad innocentis interitum conducti, perpetuo arceantur: inqvisitiones, si causa postulat, non qvas favor aut propinqvitas dare solet, sed æqvitatis ratio & Justitiæ zelus præscripsit, instituantur; vota vero & decreta juxta illud, qvod legimus, & qvo monemur, *Recte judicate filii hominum*, decernantur. MILITI autem, ne rapinam meditetur, vel moliatur seditionem, præstetur stipen-

stipendiũ, non ex gratia & factione, hos elevando, illos oprimendo, alios prætereundo, plures negligendo, verum singulis æqvaliter. Qvod facile servari potest 1. Si unus præ altero stipendia nõ surripiat. 2. Si pecunia non penes fucos, sed justos administratores servetur. 3. Si provide & prudenter exactorum arceatur cupiditas, & in Monetariorum fidem & perfidiam animadvertatur. Porro RUSTICIS sive subditis Jus illud *vitæ & necis*, atq; immanis sine judicio crudelitas, à Dominis restringatur, qvorum qvanto vilior in Regno status & conditio, tanto major illis commiseratio debetur: *remittentes minas, scientes, qvia & illorum & noster dominus est in cœlis:* Nam, etsi rusticum induit, hominem tamen vel in fune & fuste non exuit: qvorum omnium injurias atq; lachrymas siccine putabimus otiosas, ut DEUS non audiat? Cujus judicio & ultione non tantum ad rastrum natas, verum etiam armatas illorum nuper manus vidimus, illisq́; ob nostram dominationis tyrannidem, ut humanitatem aliqvando disceremus, substantiam & sangvinem largiter impendimus; qvid? hodie etiam pares nobis fecimus, & nobiles creavimus. Ita conciliato *Cive* redibit

- - *dives Concordia rebus.*

Contentato *milite* reducetur *Pax & felicitas*: atq; ex justa dominationis mansvetudine sur-

get *subditorum amor & obseqvium.* Atq; hæc omnia ex formula *Pietatis* & *Justitiæ:* cujus si capax mens nostra, conformis omnium voluntas, nec discrepant consilia, neq; deinceps Patriæ ruina metuenda erit, neq; Interregnum formidabile existet, neq; exterorum prævalebunt conatus, ubiq; pro nobis pugnante & decertante *Pietate* & *Justitia.* Nam reliqva, qvæ metum nobis incutere vel augere mala dicuntur, ex civium, militum, & subditorum surgunt injuria; unde animorum aversio, ex aversione seditio, ex seditione tumultus, ex tumultu ira, rixa, ex utroq; bella non bella, qvia *Civilia*, nascuntur: qvæ sola ad Reipublicæ maxime florentis, ne dicam labentis vel jacentis, finem & interitum sufficiunt.

VViel. Nunc demum Regni ac Reipub. nostræ morbum intelligo, nec ignoro remediū:

- - - *sed furor seqvi priora*

svadet. Ita qvippe depravato naturæ affectu comparatum est, ut etiam, si *bona* videat, *deteriora* lubentius amplectatur. Cui si adhuc Genius noster accesserit Polonicus, ubi semel mala præ bonis malit, tunc susq; deq; irruit, & postqvam Divina humanaq; confudit, nunqvam aut rarissime culpam excusabit, verum etiam præsumpta temeritate se jure fecisse defendet. Certe, violatam in *Civibus* (ut alios taceam) *Justitiam*, multis titulis & nominibus agnosco: cum proscriptis, & adhuc fortasse proscribendis, proscriptam qvoq; *Pietatem*, mecum plurimi sentiunt, pauci tamen id dicunt; ne scelerate fecisse, vel ad minimum se errasse fateantur, eo dementiæ prolapsi, ut putent, se optime fecisse, cum

- *prosperum ac felix scelus virtus vocatur:*

Unde non laudem modo & gloriam sibi vendicant, sed & novam felicitatis accessionem augurantur. Miseram felicitatem! qvæ tam incerta est, qvam certum scelus. Enimvero, ut jam nihil dicam de nova electione, *vivente Principe*, Successoris, qvam tu stultam, intempestivam, præposteram, præjudiciosam, tandem damnosam & perniciosam Reipublicæ, multis & gravissimis Rationibus ostendisti; nonne illud solum & unicum, qvod *Religionis prætextu* geritur, omne facinus exuperat? tamqve insolens & immane est, ut ad *Concordiam* tollendam, convellendā *Libertatem*, & *Rempublicā* evertendā sufficiat. Retinemus enim, *voluntarie sacrificandum esse Domino, non cujusqvam cogentis imperio, qvod, qvi aliter facere tentaverit, evidenter cælestibus jussionibus obviabit.* (Cassiod. l. 10. Ep. 26.) Verum, ne frustra illa repetam, qvæ tu abunde dixisti; age tamen, & in gratiam mutui *amoris*, &, qvod majus est, amore *Veritatis*, qvandoqvidem ad superiorem materiam multum pertinere videtur, (imo neq;

neq; ſatis omnia probare) illud expedias : *An tolerandi ſint Disſidentes in Religione ?* & doceas : *An Rex in Regno, aut Princeps in ditionibus ſuis tolerare Disſidentes in Religione, & liberũ permittere Religionis exercitium teneatur ?* Exceptos tamen volo, & hinc illos arceo, qvi palam blaſphemi ſunt, & paci, honeſtatiq; publicæ inſidiantur, necnon Eccleſiaſticis ac Civilibus Legibus atq; *Magiſtratui* adverſantur.

Prawd. Fateor, plurimum ad rem noſtram pertinere hanc, qvam expediri deſideras, qvæſtionem : qvæ cum propter ingentes hominũ contentiones, & depravato pietatis zelo corruptas opiniones, difficillima expeditu ſit; tamen, excluſis excludendis, facillimam efficiam, cum juſtisſimam oſtendero. Status igitur eſt propoſitionis : *An tolerandi ſint Disſidentes in Religione à Regibus & Principibus ?* & : *an illis exercitium qvoq; Religionis permittendum?* Qvod anteqvam expediam, ſi illi, qvos ipſe deſcribis, excludantur, excludendi qvoq; ſunt cum illis omnes inprimis Pontificii, qvandoqvidem illi non tam Civiles Leges & Magiſtratum parvifacere, verum etiam Regna & Imperia mutare, & confundere conſveverunt. Sed ad propoſitum, ne longius videar excurrere. Qvæſtioni præmisſæ plurimum adverſatur *Thomas Aqvinas*, qvo ſolo nomine eum minime dixerim *Angelicum* : adverſatur etiam atq; recla-

reclamat tota *Scribarum* & *Phariſæorum* Secta, id eſt, totus Clerus cum *Pontifice* Romanus, qvi ſuum hic ſimpliciter qværit & defendit *In-* [illegible] *Disſidentes* ſive Proteſtantes to- [illegible] roventibus eorum mul- [illegible] nidoris fumo atq; pingvi [illegible] ; ſed & venter & ſtomachus nimium obeſus indigeſtam concoctionem minime eructaret. Porro, qvi cum Chriſto ſentiendum exiſtimat, ex illa apud Matthæum (c. 13.) Parabola, ubi expresſe *zizania* cum *tritico* ad mesſem ſervari jubentur, intelliget, præceptum hoc maxime ad *Reges* & *Principes*, in qvorum ſolum poteſtate ſitum eſt ædificare & deſtruere, plantare & evellere, pertinere. Excipiunt hic Pontificii, & præceptum hoc in Hæreticis notoriis locum non habere asſerunt : verũ, qvis arcano Dei conſilio interfuit, ut liqvido determinare posſit, qvid ille ſtatuere de qvolibet voluerit ? & an illius qvis potentiæ exiſtit, ut ex zizanio triticum, hoc eſt, notorie Hæretico, vas electum reddere posſit ? Profecto, Paulus non *errans* tantum erat, ſed etiam *perſecutor* ; ut Ananias, Diſcipulus Domini, diceret : *Domine, audivi ex multis de viro hoc, qvanta mala fecit.* Cui tamen Dominus reſpondit : *Vade, qvoniam vas electionis eſt mihi iſte.* Qvod ſi Ecclesia Christi eam, qvam hodie vendicat, authoritatem habuis-

buisset, & PAULUM *Cum Pastorali* hodierna, aut sangvinaria inqvisitione de medio sustulisset, nonne nobilissimum Ecclesiæ *triticum* ev... set? Ita *Augustinus*, turpissimis ... erroribus implicatus, ... tempus cr... tus fuisset, ... fuisset? Tutius ... tur Christo adhærere, qvam nova sophismata admittere, & tolerantiam melius amplecti, qvam Conscientiarum Tribunalia permittere. Qvod *præceptum* superius nova parabola à Salvatore confirmatur: *Simile est Regnũ cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Qvam, ne contra DEI mentem humana aliqvando interpretari male præsumeret audacia, ipse *Christus* explicat: in *novissimo* demum *die* Angelos venturos, & separaturos malos à bonis. Non ergo in præsenti seculo, sed futuro, separantur pisces boni à malis. Qvo ostendit, recte sentientes, & errantes, non debere damnari, sed tolerari. Nam & *Paulus* ipse, cui præ Divo *Thoma*, aliisq; Doctoribus, major consiliorum divinorum & arcanorum DEI existit prærogativa, si illud, usq; in tertium cœlum raptus, didicisset, tolerari minime debere errantes, aut etiam condemnare, *Timotheũ*, Discipulum suum, Episcopum Ephesinum, nunqvam contrarium docuisset: *servũ Domini non*

ni non oportet litigare: qvid! anne etiam occidere? damnare? addita solida ratione: *num qvando* DEUS *det illis solidam pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.* Qvod adhuc manifestius imponit Tito, *Cretensi* Episcopo, ut moneat suos auditores, *ne blasphement*, &c. *sed mansvetudinem ostendant ad omnes homines:* si ad *omnes*, profecto etiam ad *errantes*; atq;, ut fortius persvadeat, seipsum ponit in exemplũ: *Eramus enim* (inqvit) *& nos aliqvando insipientes, increduli.* Ubi *Paulus* ratiocinari videtur, qvod scilicet nobis fieri cupimus, idem aliis præstemus: atqvi Nos supportati fuimus & tolerati, cum *essemus insipientes, increduli, & Ecclesiam perseqventes*; qvidni qvoq; ejusmodi vice versa amemus, toleremus? Nec illud obstat, qvod ex hac occasione arripiunt *Pontificii*, in eodem capite: *Hæreticũ hominem post unam & secundam correptionẽ devita.* Qvasi, qvi binis monitionibus non resipiscit, eum excommunicare debeant; &, ut nonnulli brevius concludant, illo verbo (*devita*) non tantum, illis excommunicare licere, ostendunt; verum etiam posse, debereq; talẽ tollere *de vita* obtendunt. Vim tamen inferunt dictis *Pauli*, qvi, seipsum explicans, *hæreticum hominem* intelligit, *qvi subversus est & delinqvit, cum sit proprio judicio condemnatus*, nimirum pro hæretico qvidem habendum talem, non tamen pœna alia

alia afficiendum, qvam à converſatione tantùm amovendum. Qvod alibi clarius demonſtrat: *Si qvis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*, non vero occidatur, *& nolite qvaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Idem alibi: *Oportet hæreſes eſſe, ut, & qvi probati ſunt, inter vos manifeſti fiant.* Qvod ſi autem *eſſe oportet*, qvomodo non oportebit tolerare? Nam, ut alia omittam, vehementisſimũ illud eſt, qvod adjicit: *Si qvis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentiat habitare cum illo, non dimittat illam.* Qvid qvæſo in ſocietate humana arctius conjugali vinculo esſe poteſt? & tamen in eo qvoq; *fidelis cum infideli* jungi poteſt, & habitare: qvanto magis in foro, qvam thoro; & ſocietate civili, qvam conjugali: cum major utrobiq; campus, forte & necesſitas. Idem Apoſtolus ne ſocietatem civilem extingveret, *ſi qvis vocat vos infideliũ*, &c. jubet fideles cum illis bibere & manducare. Qvod ſi posſunt fideles cum infidelibus convivari, qvanto magis etiam converſari? cum nulla conjunctior, verior & ſincerior converſatio, qvam comesſando & convivando dari posſit; imo neq; humanitas hodie, niſi cibo & potu, probari. Et, hanc lenitatis & mutuæ tolerantiæ praxin usq; ad Pontificum tyrannidem viguisſe in Eccleſia, certum eſt. Videre il-

re illud eſt expresſis *Magni Gregorii* verbis, & juri Canonico inſertis: *Qvi ſincera intentione extraneos à Chriſtiana Religione ad fidem rectam cupiunt perducere, blandimentis, non aſperitatibus debent ſtudere.* Et paulo poſt: *Qvicunq; aliter agunt, & ex hoc velamine à conſveta cultura ſui ritus volunt ſuſpendere, ſuas illi magis, qvam* Dei, *cauſas probantur attendere* (Diſt. 45. c. 3.) Et Concilio Toletano IV. (Can. 56.) hæc ſeqvuntur; *Ergo non vi, ſed libera arbitrii facultate, ut convertantur, ſvadendi ſunt, non impellendi.* Ea ſane, qvæ hactenus authoritate divina probavimus, uſu qvoq; recepta fuisſe, & obſervata, exemplis oſtenditur: qvibus pii *Reges & Principes* non tantum infidelium amicitiam ambire, verum etiam colere voluerunt. Primus hic *David* occurrit, qvi cum Rege Ammonitarum fœdus & amicitiam coluit. *Salomon* cum Rege Tyri etiam ſocietatem una cum commerciis profesſus eſt; &, qvod memorandum eſt, urbes viginti eidem donavit. Qvod hodie, tot Romanæ Curiæ proteſtationibus, aut excommunicationibus, vix *Cæſari* liceret, ſi Svecis unam vel alteram urbem concederet. Et, ut alia exempla Veteris Teſtamenti Theologis relinqvam, nonne tempore Evangelii *Conſtantinus*, piisſimus Princeps, collegam Imperii ſui, *Licinium*, qvamvis ethnicum, toleravit? &, ne à patientia Chriſtiana favor

favor Regius abesset, eidem sororem suam *Constantiam* in matrimonium tradidit? Nonne etiam Christiani, excepta causa idololatriæ, ipsis ethnicis Imperatoribus militare sacramentum dixerunt? Ex qvibus omnibus facile patet, pios *Reges* & *Principes* minime Conscientiam suam lædere, imo etiam vel maxime teneri, ut diversas in suis Ditionibus Religiones patiantur. Qvi contrarium tuentur, pro eo defendendo afferunt: periculum esse, ne per illam permissionem inficiatur Domestica Religio; & varii errores ad damnationem multorum inferantur. At hæc futilis est ratio, & inanis. Nam, si *Paulus* non attendendum putavit, si infidelis cum fideli matrimonio jungeretur: nec idcirco dissolvendos, qvin potius in meliorem partem præsumendum esse, partem infidelem parte fideli sanctificari: ita in prædicto casu majori verisimilitudine sperari potest, ut plures paucos convertant, qvam econtra; dummodo juxta monitum Apostoli, *in mansvetudine & lenitate.* Præterea, si hæc ratio esset solida, prohibenda essent omnia commercia, & horum causa, tam vicina, qvam remota itinera, cum vix domo pedem efferre liceat, qvin statim diversa occurrat Religio. Si autem societatis humanæ ratio, qvam conservatam, non extinctam cupit *Evangelica perfectio*, hoc non patitur, qvid

qvid vetat, ut ad augendam Regni & Reipub. felicitatem diversa (& forte paucorum) admittatur Religio? Prohibendæ etiam essent omnes peregrinationes, qvas vel ob uberiorem literarum & artium cultum, vel ob ampliorem Civilis Prudentiæ cognitionem acqvirendam, suscipiunt nobiles & ingenuæ mentes. Qvod si vero plurimum inde commodi & ornamenti percipiunt Regna & Respublicæ; si summam inde voluptatem capiunt parentes, fratres, cognati, & consangvinei: qvis illas Religiones arceat, qvas alibi observavit? Excludendi qvoq; essent variarum Gentium Legati, qvi cum suæ libero Religionis exercitio non tantum admittuntur & tolerantur, verum etiam honorantur, à qvibus majus periculum metui possit, cum his non solum obvia pateant negotia, sed & secretiora Regni & Reipublicæ manifesta fiant consilia. Qvæ si omnia Rationi dissona sunt, imo talia, qvæ hominum societatem ex vita communi sublatura, rerum qvoq; ad vitam necessariarū penuriam, & crassam barbariem inductura videntur, demum talem vivendi rationem adductura, qvæ bestiis potius, qvam hominibus, similior sit; potius dicendum erit: *Dissidentes in Religione*, propter rationes allatas, tolerari ab omnibus Principibus posse, & debere. Qvod cum sufficienter ostendi, unum qvoq; ex

ex tribus seqventibus statuendum erit: *Aut* cultus divini exercitium ipsis secundum doctrinam, qva à teneris imbuti sunt, permittendum; *aut* ad nostros ritus & doctrinam compellendos; *aut* omne Religionis exercitium ipsis interdicendum esse. Neutrum ex posterioribus duobus faciendum: nam compellere velle qvempiam ad alia credenda, præsertim in Religione, hoc non esset tolerare, sed sævissimo persecutionis genere premere & perseqvi. Testantur hoc funestissima, non externa duntaxat, sed domestica exempla. In ultimo si idem statuimus, idem malum incurrimus, cum nulla natio tam fera sit & barbara, qvam non tangat Divini Numinis reverentia. Qvi secus statuit, pari rigoris austeritate etiam cultum hunc, qvaliscunq; est, ex animis eorum ejiciat, oportet: ut taceam, homines hac violentia paulatim in *atheismum* deflectere, &, ubi pertinacia crevit, vitam inducere belluinam, ut malint extrema ferre, qvam à sententia, qua imbuti sunt, dimoveri. Ergo præstat, illis aliqvam Religionem permittere, qvam nullam procurare; qvod si autem tolerandi sunt, qvidni liberum qvoq; Religionis exercitium concedendum? Sed ecce, me hora, te *Aula* vocat: igitur abrumpendum. Hoc interim jam vovere liceat, qvod Civem bonum optare decet.

Faciat,

Faciat, faciat tandem piissimus Regnorum moderator, & justissimus rerum arbiter DEUS! *& post tot atroces fatorum minas, post gravissimas fortunæ vicissitudines, & innumeras externis & domesticis malis ærumnas,* Regem *seræ incolumitati,* Rempublicam *consummato ornamento, &* Cives *avitæ gloriæ, omnes vero optatæ libertati reddat, reducat, restituat.*

Ex animo precatur

Tertulianus Aqvilus è Xardo, F.

Typographus Lectori Salutem.

Cum restarent & vacarent aliqvot adhuc hujus chartæ pagellæ, commodum accidit, ut mihi communicata fuerit hæc, qvam vides adjunctam, Propositio de novo Rege eligendo, facta in Comitiis proxime præteritis ab ipso Serenissimo Rege Poloniæ, cujus hic adeo impensum & vere devotum in Rempublicam studium & amorem cernere licet: sed & singularem, ac futuri propemodum præsagam, de distractione Poloniæ prudentiam. Cum qva plane hac in re consentit scriptum geminum, (alterum sub hoc titulo: Speculum judiciorum divinorum in Regno Poloniæ Anno MDCLIII. *alterum sub hoc:* Ultima Admonitio Reipubl. Polonæ Anno MDCLIX. data,) *à Nobili Polono, avitæ libertatis & pacis Patriæ studiosissimo, compositum & vulgatum. Itaq;, Lector Benevole, qvæ dextra manu porriguntur, dextra itidem, non sinistra, accipe, & æqvi ac boni consule. Inclyto autem Regno Poloniæ bene mecum, cumq; omnibus bonis, bono totius Christianitatis precare. Vale & fave.*

PROPOSITIO
Sæ. Reg. Mtis. Poloniæ, ratione faciendæ Electionis habita in Senatu absentibus Nunciis Terrestribus, durantibus Regni Comitiis Varsav. 4. Julii Anno 1661.

SI cujus, certe necesſum eſt meæ inhæreat memoriæ illud axioma, qvod optima peperit conſideratio perſpectisſimi viri Politici: *Principes mortales, Respublica immortalis.* Et qvis, qvæſo, mortalitati magis eſt ſubjectus, qvam is, qvi ad longam annorum ſeriem appropinqvat, cui Deus ex charisſimis poſteris nullas delicias largitur, & qvi è linea familiæ ſuæ ultimum ſe recenſet? Vicisſim Respubl. qvæ optime ſibi conſulere novit, mori neqvit: qvo annos ſuos numerat remotiores, eo majorem gloriam ac potentiam ſibi acqvirit: tot filiis delectatur, qvot numerat Eqveſtris Ordinis homines: ibi ultimus in domo non datur, ubi omnium Domus unica eſt Patria. Tantummodo unicus in Rempubl. maxime gravis accidere ſolet caſus, qvando capite ſuo privatur, qvando funeſtum Interregnum, inter animorum ſimultates, inter haud levem rerum confuſionem, propinqvam ruinam minatur. Qvod dum mecum conſidero, ductus affectu & amore erga hanc Patriam, animadvertens ſenectutis meæ gradum, & corporis ſanitatem qvotidianis defatigationibus ac incommoditatibus enervatam, necnon mecum id bene ponderans, qvod me aliqvando ordo tanget æternitatis viam ingredi, non optarem hanc Rempubl. caſui exponi: & eam ob cau-

cauſam Propoſitionem in materia Electionis, me adhuc ſuperſtite, Dominationibus Veſtris ad conſiderandum dedi. Nemo exiſtimet, hanc cogitationem jam primũ in animo meo natam eſſe: ſiqvidem jam ab annis ſeptem, ſtatim poſt decesſum Fratris mei, videns improlem me eſſe, imo extra omnem ſpem ſuſcipiendæ prolis poſitum, confeſtim intendebam, talia Dominationibus Veſtris proponere, niſi me tum temporis irruptio Svecorum, ac alia Reipubl. gravisſima bella interturbasſent. Dum vero inpræſentiarum Omnipotens DEUS benignisſimo oculo ſuo Vos aſpexerit, & hæc feliciora tempora Vobis impertitus ſit, ita, ut nunc melius, tutiusq; Nobis invicem conſulere posſimus; exiſtimarẽ ego, ne tam necesſaria Deliberatio differatur, in qvantum me adhuc vivente Succesſorem eligere velitis. Jam ducenti fere anni ex parte materna, & ſeptuaginta ex parte paterna computantur, ex qvo libera electione Dominationum Veſtrarum hocce in throno Domus mea eſt conſtituta. Qvamobrem id mihi exopto grati animi monumentum in mentibus Dominationum Veſtrarum relinqvere, ut hancce Rempubl. in eodem ſtatu, ac in eadem libertate, in qva eandem ab Antecesſoribus, prævia Dominationum Veſtrarum voluntate, recepi ac inveni, poſt fata mea iterum

rum redderem, relinqveremq; Dominationibus Vestris. Qvod ipsum ægre fortean accidere posset, si qvando Dominationes Vestræ ultima fata mea expectare vellent. In tanta enim post mortem meam confusione subdubitarē ego, an id potestate foret Dominationum Vestrarum, posse Dominum libere electum habere? Sit mihi DEUS testis, qvam ego hac in parte nihil privati spectem, verum Patriæ hujus solum commodum: qvippe post mortem meam omnia ego fata mea mecum traham. Ast Vestræ Dominationes, qvarum aliqvi soli, aliqvi in posteris vestris vitam producetis, ita vobis tempestive consulere velitis, acsi exoptaretis vestri prosperam memoriam posteris relinqvere. Posset mihi qvisqvam objicere, non esse rem sine exemplo, nimirum Reges etiam antehac sine prole vivere desiisse, ac inde nihilominus Reipubl. nullam ruinam supervenisse. Neq; diffiteor, ita se rem habere, nisi qvod ab illis temporibus diversa longe inpræsentiarum sint tempora. Tum temporis, circa antiqvam simplicitatem Majorum animorum unio esse poterat: ac Respublica in tanta confusione, Statuumq; diffidentia, non exstitit, qvam qvidem nunc exsistit. In animis hominum, vicinorum inprimis, tales ambitiones non fuere, neq; tales privati respectus ad hostilitates. Nondum talis

lis cognitio tum patebat, sive de potentia nostra, sive de defectibus nostris, cum Principes de Patria nostra minus fuerant solliciti, illam fortean reputantes minus excultam, minusq; opulentam: nunc omnes in ipsam oculos suos convertunt, & procul dubio de eadem concurrent. Tum temporis nullus erat Exercitus stipendiarius; & si qvis fuit, paratæ pecuniæ stipendia merebat. Hinc tale periculum nullum erat, ut alter alteri per potentiam Dominum imponeret. Utinam sim falsus vates, metuendum Vobis esse, ne Respubl. in divisionem gentium abeat. Moscus & Russi tentabunt Magnum Ducatum Lithvaniæ avellere ad ipsos usq; fluvios Bug & Narew dictos, & vix non ad Vistulam fluvium. Elector Brandeburgicus occupabit animum suum circa Majorem Poloniam, aliosq; sibi proxime limitaneos Palatinatus, certabitq; de potioritate circa utramq; Prussiam. Domus qvoq; Austriaca cogitationes suas circa Cracoviam, sibiq; proxime vicinos Palatinatus intendet. Qvis sponsor est de proprio Exercitu nostro, cui tot stipendia debentur, ne hunc qvispiam aureo hamo ad se, & qvidem non ad mentem Reipublicæ, pertrahat? Aut si is Confœderationem iniverit, ne per potentiam Dominum imponere audeat, veluti jam in nuper præterita Electione ejuscemodi rumores ad aures no-

noſtras delati ſunt. Coſaci etiam ſomnum excutiendo invigilabunt, ut ei, cui id è re futurum exiſtimaverint, circa hanc intentionem auxilio esſe posſint. Qvocirca Dominationes Veſtræ hoc ipſum qvam optime perpendere velint. Qvod ſi Vobis ita curæ cordiq; eſt conſervatio Gloriæ DEI, & ſacroſanctæ hoc in Regno fidei, necnon libertatum ac integritatis Patriæ, velut id muneris veſtri esſe debet: mihi ſufficiet, qvod, poſtponendo ſecuritatem propriæ perſonæ meæ, neq; ullā rationē habendo metus ejus, qvi ab asſignato Succesſore merito in me cadere posſet, voluntati Dominationum Veſtrarum id inſinuaverim, ut de Vobis tempeſtiva conſilia capere potueritis. Hoc ipſum ſive jam acceptetis, ſive negligatis, exoneratam hac in parte conſcientiam habebo, qvod Dominationibus Veſtris bene cupiverim, optimeq; cupiam.

Tempus omnia revelat.

Non ibi conſiſtunt exempla, unde cæperunt: ſed qvamlibet, in tenuem recepta tramitem, latisſime evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur. *Vellejus.*

Lento gradu ad vindictam divina procedit ira, ſed tarditatem gravitate ſupplicii compenſat. *Valer. Max.*